

Petrum de Flandina, Maurum Buffum, Rogerium de Magalda, Petronum Mauritanum et Constabilem de Paterno. Hii omnes iuraverunt dicere veritatem de ipsis finibus et circumeuntes culturam ipsam simul cum magistro Thoma de Matera domini imperatoris notario, domino Rufo canonico ecclesie Cusentine, quem ego Cusentinus archiepiscopus vice meo illuc misi, Malgerio de Rublano^{e)}, quem ego Riccardus camerarius pro me misi vicarium, et aliis, quos illuc misit dictus dominus Reginus, videlicet domino Benedicto, domino Iacob et domino Iordano iudicibus Cusentie et domino Iohanne de Mangono, testati sunt, quod predicta cultura hiis finibus terminatur: Incipit a superiori parte finayte domini Thome filii iudicis Goffredi de Dipiniano et via publica, qua itur a casali Dipiniani Cutrunianum usque ad flumen Aiassule, de uno latere ipsius fluminis Aiassule descendens usque quo iungitur finayte matris ecclesie Cusentine et sancti Nicolai de Calabrice et ferit ad flumen Tornarici et ascendit ipsum flumen usque ad pantanum in lecto et inde ascendit usque ad finaytam dicti domini Thome de Dipiniano et concludit. Hanc totam culturam dixerunt fuisse de demanio regio et sic et per quosdam de se ipsis et alios iuratos extitisse terminatam tempore felicitis memorie domini imperatoris Henrici et domine imperatricis Constantie preter terras, quas infra predictos fines possidet predicta ecclesia sancti Nicolai de Calabrice, predictus Thomas de Dipiniano, iudex Riccardus de Dipiniano, Michael de Gemmitanis et illi, qui vocantur de Bandiforis^{f)}, secundum fines et finaytas uniuscuiusque^{g)}. Ad indicium autem huius recordationis, attestationis iuratorum et nostre restitutionis memoriam presens scriptum fieri fecimus per manus Guillelmi Cusentie notarii, subscriptione nostra et predictorum et aliorum, qui interfuerunt attestatione, munitum.

Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense augusti, none indictionis, anno vero imperii domini nostri Frederici dei gratia serenissimi Romanorum imperatoris semper augusti primo, regni autem Sicilie XX^oIII^o, regni quoque domini Henrici filii eius eadem gratia gloriosissimi regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue IX, feliciter amen.

+ Lucas dei gratia Cusentinus archiepiscopus subscripsi.

+ Signum manus predicti domini Riccardi imperialis Vallis Gratis camerarii.

IX. e) l aus i verb. M

f) B aus C verb. M

g) aus unicuique verb. M